

# V I R O

Ex sapientia virtutibusque penitus factus,  
Obindeque

*Actu ipso reverendo,*

## DN: MARTINO RÖSNERO,

Ecclesiastæ, ad Div. Jacobi, apud Thoru-  
nenses, religiosissimo,

De

### F I L I A

*Modesta, pudicitie pudore præcellenti, & (ut  
omneis ejus dotes breviter includam)*

*patri simili,*

## M A R I A N N A,

### V I R O

*Honesti admodum vultus animique,*

DN:

## MATTHÆO PUSCHMANNO,


civi, apud nos, spectatissimo,

Die XIII. Januarij, cis. 156. LX.  
propitio Numine,

*Solemnique nuptiarum ritu,  
associanda,*

*Gratulatum ibam*

Eberhardus Müller, ad Div. Mariæ  
Symmysta.



## THORUNII,

Typis exscriptit MICHAEL KARNALL.

1012393

FELICITATI & hoc tuæ  
Fatale erat, VIR OPTIME,  
Decus, tuam ut natam optimam  
Viro elocares optimo!

Nam, postquam ea ipsa tantam  
Virtute adepta gloriam (erat

Famamque, ut ejus nuptias

Tentaverint quamplurimi,

Sunt præstolati eam lares

PUSCHMANNI, dum, tempore

Justo, suum vultum sacrum

Inferret ejus ædibus.

Quod ergo votum ejus fuit

Pridem, illius jam particeps

Fiet, locoque conjugis

Prioris, haut minus probam

Habebit ille conjugem.

Et quam familia illa optima,

( Cujus probata singulis

Virtus patet ) potius sibi

Optaverit matrem & ducem,

Quam, cujus & profapia,

Splendore semper claruit;

Quam, cujus & puertia,

Sexum suum decentibus,

Fuit erudita scientijs?

Nam clarius quid stemmate,

Ex quo viri plures boni

Venerè, quam ex Trojano equo

Circumdati armis bellicis?

Illam, illa ea est profapia,

Quæ, sempiterno crescere,



1018397

A pri-

A primulis exordijs,  
Prælusit isti ornamenti:

Quam, casibus varijs, licet,  
Jactare, & inter gaudia  
Luctusque, mutata vice,  
Versare visus sit DEVS,  
Nil egit ille aliud tamen,  
Quam, ut, per vias fatum asperas,  
Majora rerum ad magna,  
Adduceret manu sua.

Hoc, quippe, sic ut plurimum  
Fieri solere, accepimus,  
IN MORE ID ESSE NUMINI  
POSITUM SUPREMO, NEMINI  
CONFERRE MAGNI QUIPPIAM,  
NISI PRÆVIJS CREBERRIMIS  
ADVERSITATUM FLUCTIBUS.

Nec id temere: Nam si foret  
Absque hoc, sui felicitas  
Amitteret partem bonam,  
Quæ saepe gratior venit  
Per amarulentiam gravem  
Atrocioris fideris.

Solem, licet pulcherrimum  
Per se, tamen roriflua  
Nox, atque pallium nigra  
Matri additum, multo facit  
Jucundio rem singulis.

Æstatem, amœnam ex se, magis  
Commendat anni frigida  
Pars, & pruina roscida,  
Glacialia illa & marmora,

Canæ

Canæ & nivis velamina  
Inamoena & valde tristia.

Sic sanitatem amabilem  
Cunctis, tamen morbi solent  
Acceptiorem reddere.

Cibus minus suavis est,  
Quam, post famem, qui carpitur.

Potus minus jucundus est,  
Quam, post sitim, qui sumitur.

Accepta nequaquam est quies,  
Quam quæ laboris est comes.

Cœlo faventi & candido  
Quid lætius? Minus tamen

Esset, nisi formam illi eam  
Horror nigrarum nubium, &  
Deformitas teterrima

Adeo usque commendabilem  
Faceret. Sed hic sit terminus  
Excursionis metricæ!

Nunc omnium supplex patrem,  
RŌSNERE FELICISSIME,  
Veneror precorque, propria,  
Ut sint tibi fausta omnia!

Et, hoc die, ceu sexdecim  
Est nata filia optima  
Annos, ita idem ardentibus  
Cœlum fatigo gemitibus,  
Ut subsequos velit addere,  
Non sexdecim tantummodo,  
Sed ter quaterque sexdecim!

